



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ludovici Richeomi Societatis Ies. Valedictio Animæ Deuotæ

Richeome, Louis

Coloniæ, 1610

De Sampsonē & alijs sui interfectoꝝ. Princeps sapiens legem
interpretatur. Colloq. XVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50753](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50753)

ante portam ciuitatis defixarum collocatur. Atheniensibus etiam quod ex Platonis doctrina hauserat, in more fuisse accepimus, ut suiipius reos manu dextra rescissa mutilarent, eamque in aere putrescere sinerent, quippè quæ nefario facto ut instrumentum inseruisset. Maneat nunc ergo istiusmodi facinorosos non coram Deo tantum, sed tota generis humani societate ac natura execrabiles esse, quia illius leges parricidio crudelissimo ac sacrilego planè violare non verentur.

*Alex.c.
l.5.28. &
Plato in
Phædone
& l.9. de
legibus.*

*De Samfone & alijs sui interfectori-
bus.*

*Princeps sapiens legem interpreta-
tur.*

COLLOQVIUM XVI.

QUID verò tu mihi nunc pro **PHIL.**
 ijs allegaturus es, qui manus
 sibi violentas intulerunt, ac
 nihilominus in numerum bono-
 rum relati sunt, quemadmodum *Iudic.16.*
 de Samfone accepimus? **THEOL.A.** 30.
 Quod omninò nihil quam quod super
 eadem.

*b S. Aug.
1. de ciuit.
c. 20.*

eadem re à *b* Augustino affertur, qui ait, istiusmodi homines non furios quibusdam actos, sed diuino instinctu impulsos tale quid designauisse. Itaque nihil planè contra legem Principis sui faciebant, cum id, quod ipse vellet ad honorem suum geri, & pro bono publico admitti, exequerentur, quemadmodum in eo què adduxisti, manifestè potest repre-

*a S. Aug.
cōtra. 2.
ep. Gaudent. l. 2.
c. 23. l. 2.
de ciuit.
21.*

hendi: qui quemadmodum (ait *a* idem Doctor) Deo inspirante & operante miracula perpetrabit, ita per eiusdem dictum & suggestionè duas aulae columnas, sedibus locisque suis mouit, & cum vitæ suæ iactura sub earum ruinis Principes Dei inimicos sepeliens, patriam morti; se autem ignominia turpissimæ subduxit. PHILOS. An ergo malum id nõ erat, quia à Deo fuerat imperatum? THEOL. Nequaquam verò peccato id affine esse potest quod Deus præcipit, licet enim illi eadem prorsus iustitia legibus suis quem volet soluet, qua ante eas seruandas omnibus edixit ac promulgauit. Solutio autem illa nec cum

*Princeps
de suis legibus
potest dispensare.*

cum mente legislatore pugnat, nec fini legis aduersatur, sed potius evidens declaratio est, quo præclare intelligamus factum istud honestum esse, & quam maximè fini legis adæquatum, qui Deum honorari vult; & ad vtilitatem publicam si quid aliud accommodatum, quæ iustitiam seruandam monet, defendendos bonos, & facinorosos contrà seuerè puniendos. Sequitur itaque istiusmodi Dei scita ac præcepta nō minus quā leges suas valere, & hoc modo homicidium ab illo suggestum, non plus mandato *Non occides* repugnat, quam consensus Abrahami filiū suum immolare ac sacrificare molientis; vel spolia illa quæ Hebræi ab alijs referebant præcepto *Non furaberis* aduersantur. Cum enim penes Deum rerum omnium dominium, atque arbitrium sit, potest ille eas dare & accipere, & per quem ipsi placuerit, constituere & ordinare: nihilominus iustitiam seper administrans nunquamque possessores earum iniuria afficiens, qui depositarij tantum sunt. Poterat ergo
vitam

vitam Isaaci vt suam à manu patris
reperere, poterat bona Aegyptiorū
vt ad se spectantia per Hebræos sibi
vendicare, & si Abraham filium sa-
crificauisset, nullamque legem con-
trariam priori accepisset, facto re-
uera Deo seruitio præstitisset, quem-
admodum animo voluntateque iam
tum fuerat executus; & sicuti Sam-
son actu se confecerat, Hæbræique
re ipsa Aegyptios bonis spoliarant;
quemadmodum etiam Moyse, Esa-
ias, David plurimos de medio sustu-
lerunt, & Magistratus capitali sup-
plicio improbos & sceleratos etiam
num afficiunt, absq; præiudicio vllō
legis diuinæ. Cōcludo ergo Samsonē
non tam sui homicidam quam fidelē
diuini afflatus executorem fuisse,
honorem Dei suæ vitæ prætulisse,
flagitiosos puniuisse, bonos autem
morte sua recreauisse. P H I L. Peri-
culosus reuera hic locus est, & vbi
facillimū labi sit, & vbi procliuus
nihil esse possit, quam deiici, quam
supplantari, quam in barathrum æ-
ternæ noctis deturbari: sollicitum i-
raque & anxium in istiusmodi rebus
esse

esse oportet, nihil aggredi, nihil cō-
 stituere, nedum ~~extra~~ Ecclipticam
 euagari volumus, in extraordinariā
 lineam incidamus: adhibetur ergo
 ante Deum in consilium, omnes mo-
 tiuæ examinabuntur, quæ ad id il-
 liciant, quæ ab eo abstrahant aduer-
 sis frontibus committentur: tum
 si improba, si perniciosi animi fue-
 rit fascinatio, liberabitur confestim
 à Deo, qui ad se confugientes non
 destituit, vbi tentationes viribus
 maiores esse cognoscit: sin verò sa-
 cri numinis afflata id geretur, adeò
 clarè & euidenter omnia ei alluce-
 bunt, nullius vt de cætero dubi-
 tandi locus relinquatur. Illud
 tamen ante omnia notari & ob-
 seruari mihi velim, rarò admo-
 dum DEVM istiusmodi agere,
 nunquam factitare: siquidem in
 tota scriptura sacra nulli tale
 quid euenisse reperies, cum ab v-
 no *a* Sampsonè discesseris: de cu- *a Iud. 16.*
 ius etiam diuina inspiratione & si *30.*
 nihil expressum habeatur, licet ta-
 men & ex sacris literis, quæ honori-
 ficam eius faciunt mentionem,
 & v. c.

2. Reg.
 17.23.
 2. Ma-
 ch.14.
 43.
 b Aug.
 contra
 secund.
 Gaudet.
 l.2.c.23.
 vi Ep. vi.

& verò etiam ex multorum Sancto-
 rum Patrum scriptis, qui cum in hoc
 facto diligenter excusant, eam con-
 iecturam facere, quæ non prorsus à
 vero videatur aliena. Alios verò
 omnes quos se vita priuasse accepi-
 mus, sceleratorum catalogo annu-
 meramus, quemadmodum Achithophel & plures alios, quorum vi-
 ta suspecta bonis omnibus esse po-
 test. Sicut deplorati illius b Raria,
 cuius autoritate amètes isti Hære-
 siarchæ abutebãtur, qui memoria D.
 Augustini viuebant, impunitatem-
 que quandam flagitijs illius inuehe-
 re conabantur, quo se ipsum occi-
 dere licitum esse euincerentur; asse-
 rentes, nullibi à sacra scriptura Ra-
 riam illum fuisse condemnatum.
 Verùm quemadmodum præclare à
 Divo Augustino animaduersura
 fuit; Scriptura recitat exhibet-
 que facinus illius secundum opi-
 nionem facientis, qui mirificè si-
 bi fortis tunc videbatur, cum fa-
 ctum nefarium aggredi non du-
 bitaret: non autem idcirco eum
 prædicat atque commendat; Vnde
 prz-

præclarè intelligere possisquam ridiculè dicti Hæretici exemplum istud in rem præsentem vi abduxerunt non auocarint.

Superbia & auaritia animam ad duas res sordidissimas abijciunt, & causa sunt cur plurimi mortem sibi consciscant. De violentia phreneticorum: Avarus lupus ciuitatis.

COLLOQVIVM XVII.

ATQVE quo planius adhuc apertiusque flagitij huius extrema turpitudine & grauitas ostendatur, libet hoc loco obiter illius quoque causas delibare: quippè cum prima fronte nescio quid altū, quid exaggeratū, quid forti viro dignum præferre videatur, ac si omnino fieri non possit quin magni & excelsi animi is sit, qui mortis metu abiecto, vitam sibi ferro eripere & hilari manu spiritum elidere non perhorrescit. Facturus autem mihi operæ pretium videor, quod admodum multos reperire est, quorum non aliter quam Hæreticorum ante allatorum

THEOL.

torum